

licet antiquiores sint, tamen tempore D. Bernardi iterum pullulasse dicuntur, illumque prædicto sermone adversus eos specialiter scripsisse. Refert etiam Antonin., 4 part. Theol., tit. 11, cap. 7, § 2, Pauperes de Lugduno eundem secutos esse errorem, et de Albanensibus refert idem Prateol. verbo Albanenses, et de aliquibus hæreticis hujus temporis, idem referunt Hosius in Confess., cap. 29, et Lindan., Dial. 2 sui Dubitantii.

3. *Tertius.* — Tertius error est, fideles, etiam si justus non sint, posse sacramenta conferre, non tamen hæreticos aut schismaticos. Hæc sententia solet tribui Cypriano, non tamen fuit ipse primus ejus auctor, sed Agrippinus prædecessor ejus in Episcopatu Carthaginensi, ut refert Vincent. Lirinens., in lib. contra Proph. voc. novit., et constat ex Augustino, lib. 2 de Baptism., cap. 7, et lib. de Unico baptism., cap. 13, qui referunt, Agrippinum cœpisse immutare antiquum morem rebaptizando eos, qui ab hæreticis fuissent baptizati. Cyprianus vero illam sententiam acriter defendit, eamque ita aliis Africæ Episcopis persuasit, ut coacto Concilio illam definierit, servata tamen pace cum Ecclesia Romana, ut infra dicemus; et fortasse ob hanc causam Euseb., lib. 7 Hist., cap. 3, prætermisso Agrippino, Cyprianum facit primum hujus sententiæ auctorem, quem secutus est Niceph., lib. 6 Hist., cap. 7. Hæc vero controversia inter hos Patres eo tempore sine pertinacia aut nota hæresis ventilabatur. Postea vero Donatistæ, contra Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, eam pertinaciter tanquam hæretici docuerunt, adeoque hunc errorem auxerunt, ut veram Ecclesiam in solis ipsis permansisse dicerent, ideoque omnes suam sectam trans-euntes, ubicumque baptizati essent, rebaptizarent, ut August. frequentissime, contra eos disputans, auctor est.

4. *Quartus.* — Quartus error esse potest, habitalem fidem vel sanctitatem ministri, non requiri ad veritatem sacramenti, necessarium tamen esse, ut saltem ipsum opus administrandi sacramentum recte et sine peccato exerceat, quia sacramentum principaliter esse debet opus Dei; peccatum vero ita cum Deo pugnat, ut non possit Deus esse auctor illius; ergo, si ipsummet opus, quo fit sacramentum, peccatum sit, non potest esse aptum ad constituendum sacramentum. Hujus sententiæ non inveniō specialem aliquem auctorem.

5. Quinta sententia esse potest, hæreticos

aut malos ministros, posse quidem dare sacramentum, non tamen effectum sacramenti, quia si sanctus non est, non potest alium sanctificare; et hoc maxime videntur significasse Luciferiani in verbis ex Hieronymo nuper citatis. Fundamenta omnium horum errorum afferemus commodius in fine sectionis, eisque satisfaciemus.

6. *Valor vel veritas sacramenti non pendet ex fide vel sanctitate ministri.* — Dicendum ergo imprimis est, valorem ac veritatem sacramenti non pendere ex fide vel sanctitate ministri, atque adeo sacramentum datum a ministro, quantumvis iniquo, schismatico, hæretico et ab Ecclesia præciso, validum esse, dummodo reliqua omnia necessaria concurrant. Hæc assertio jam est de fide, quanquam ex sola Scriptura probari non possit, ut Augustinus notavit, lib. de Unico bapt., cap. 11. Possunt tamen ex Scriptura sacra nonnulla testimonia adduci, ad hanc veritatem confirmandam, quale est illud Matth. 23: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei; quæcumque dixerint vobis servate et facite; secundum autem opera eorum nolite facere.* Quod testimonium affert D. Thomas loco supra citato, atque ex eo colligit, manere in ministris Christi potestatem Ordinis, etiamsi pravi sint, cum illis obediendum sit propter potestatem quam habent. Ex prædictis autem verbis solum videtur immediate inferri manere in eis potestatem jurisdictionis, nam obedientia magis debetur propter hanc potestatem, quam propter potestatem Ordinis. Nihilominus tamen argumentum potest esse efficax vel a paritate rationis; nam si potestas jurisdictionis manet in ministro iniquo, cur non etiam potestas Ordinis, cum utraque non ad ipsius commodum, sed ad aliorum bonum a Deo data sit, et in utriusque usu Christum representet, ejusque vicem gerat? Vel certe dici potest aliquando esse obediendum ministro Christi, non solum propter potestatem jurisdictionis, sed etiam propter potestatem Ordinis, ut maxime patet in interiori foro sacramenti pœnitentiæ. Aliud testimonium assumi potest ex 1 ad Cor. 4, ubi Paulus prius inquit: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei;* postea vero subdit: *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniat.* Sentit ergo, ministrum Christi, etiamsi prave aut infideliter suo munere fungatur, nihilominus dispensatorem esse mysteriorum seu sacramentorum Dei. Tertio ponderat Hieron.

in citato dialogo contra Lucif., circa finem, in Apoc. hæreticos, qui secuti fuerant doctrinam Nicolaitarum, invitari ad pœnitentiam, non tamen moneri, ut quos baptizaverant vel ordinaverant, iterum baptizent vel ordinent, quia nimirum, licet gratiam et fidem amisissent, non tamen sacramentorum veritatem. Quarto etiam considerari potest, quod Paulus, Act. 19, iterum baptizari fecit eos, quos solo baptismo Joannis invenit baptizatos; nunquam tamen legimus Apostolos jussisse iterum baptizare aliquos baptismo Christi baptizatos, etiam si credibile sit, multos fuisse baptizatos ab hæreticis, qui ab illis temporibus pullulare cœperunt. Verisimile etiam est, iniquissimum Judam aliquos cum cæteris Apostolis baptizasse; non est autem verisimile baptismum ab eo datum, existimatum fuisse minus validum, aut fuisse iteratum. Quinto denique adjungere possumus verba Christi, quibus suis ministris hanc dedit potestatem, fuisse absoluta ac generalia: *Hoc facite, seu, Quorum remisistis peccata, etc.*; ergo non est quod nos ea limitemus ad ministros sanctos vel fideles.

7. Secundo præcipue probatur hæc veritas ex antiquitate ac perpetua traditione, ac tandem Ecclesiæ definitione. De antiquitate enim sic scribit Vinc. Lirinens. de Agrippino loquens: *Primus omnium mortalium contra divinum Canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium sacerdotum, contra morem et justitiam majorum rebaptizandum esse censebat.* Unde inferius subdit: *Quis ergo tunc universi negotii exitus, quis utique nisi usitatus et solitus? retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas. Sed forte tunc ipsi novitiæ adinventioni patrocinia defuerunt; imo vero tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus assertorum numerus, tanta verisimilitudo, tanta diviniæ legis oracula, sed plane novo ac malo more intellecta, ut mihi omnis illa conspiratio nullo modo destrui potuisset videatur, nisi solam tanti moliminis causam, ipsa illa suscepta defensa, ipsa laudata novitatis professio destituisset;* et hæc de antiquitate sufficiant; nam etiam Euseb., loco supra citato, cap. 2, 3, 4, refert sententiam huic dogmati contrariam, tempore Cornelii et Stephani Romanorum Pontificum et Dionys. Alexandrini exortam esse, ac Dionysium epistolam de hac re ad Stephan. scripsisse, in qua refert quamplures Episcopos, repudiata novitate, antiquam sententiam retinuisse, eamque variis

Conciliis definivisse. Specialiter autem Augustinus, lib. de Baptism., cap. 7, refert post mortem Cyprian. hanc veritatem definitam esse in plenario Concilio, non explicat autem, quodnam illud fuerit; nonnulli vero conjectantur fuisse Concilium quoddam Capuense, sic enim de illo dicit Concilium Carthaginense tertium, cap. 38, et Concilium Africanum, cap. 5: *Illud autem suggerimus mandatum nobis quod etiam in Capuensi plenaria Synodo videtur statutum, ut non liceat fieri baptizaciones et reordinationes.* De qua Synodo Capuensi nihil aliud scriptum reperio; constat autem non fuisse universalem totius Ecclesiæ, sed fortasse nationalem totius Africæ, et ideo appellatam esse plenariam Synodum in illis Conciliis. Nam quod absolute universalis non fuerit, patet, quia post Concilium Nicænum primum, nullum aliud universale congregatum est usque ad Concilium Ephesinum, quod fuit tertium generale, præter Constantinopolitanum primum; certum vero est, Concilium illud Capuense et Carthaginense etiam tertium ante Concilium Ephesinum celebrata fuisse. Unde non videtur Augustin. de hoc Concilio locutus, sed de aliquo alio universali totius Ecclesiæ, quia, lib. 4 de Baptism., cap. 18, vocat illud universale totius orbis; lib. autem 2, cap. 9, dicit fuisse congregatum, antequam ipse nasceretur. Unde probabile est, illud fuisse Concilium Nicænum primum, quia ante Augustinum natum nullum aliud œcumenicum Concilium celebratum fuit, nam Sardicense, quod paulo post Nicænum fuit celebratum et quasi pro eodem cum illo computatur, videtur fuisse Augustino ignotum, ut colligitur ex Concil. 6 Carthag., can. 6 et 7. Quod autem Concil. Nic. hoc tradiderit, colligi potest ex Hieron., dial. contra Lucif., circa finem, ubi dicit, Concilium Nicænum recepisse omnes, ab hæresi resipiscentes, in suo gradu, id est, baptizatos, ut vere baptizatos, et ordinatos similiter, in ordine suscepto, exceptis solis Paulinianistis, quæ exceptio habetur nunc in can. 49 Concil. Nicæn.; et can. 8, de Novatianis specialiter præcipitur, ut in suo gradu recipiantur. Illa vero definitio universalis, quam refert Hieron. non extat, sed fortasse illam intulit ex particulari illa definitione, quoniam eadem ratio et doctrina est de omnibus, et ex altera exceptione Paulinianistarum, qui propterea excepti sunt, quia non servabant verum ritum baptismi, ut exposuit Innocent. I, epist. 22, cap. 5. Ibi tamen significat, nec fuisse in illo Concilio additam

de hac re universalem regulam, nec licere eam, quæ de Novatianis specialiter tradita est, ad omnes alios hæreticos extendere, sed non intelligit hoc Innocentius quoad valorem sacramenti; nam in hoc potius aperte docet omnes, qui vero ritu baptizati fuerint, sicut a Novatianis, non esse iterum baptizandos, quia verum recipiunt baptismum. Intelligit illam regulam non esse extendendam, quoad hoc, ut omnes recipiantur in eodem gradu et honore, quod spectat ad quamdam remissionem cujusdam ecclesiasticæ pœnæ, in qua non licet sumere argumentum a simili, ut gratia, quibusdam concessa, omnibus facta censeatur. Secus vero est de valore sacramenti, quia in hoc necesse est, doctrinam esse universalem. Quocirca non est improbabile, fuisse in Concilio Nicæno additum alium Canonem, qui generalem illam doctrinam contineret, nam quod fuerint plures Canones illius Concilii, quam nunc extant, et hæreticorum industria fuisse corruptos, constat ex Athanasio in epist. ad Marcellum Pap. Accedit, quod Siricius Pap., epist. 1, cap. 4, sic inquit adversus quosdam, qui denuo baptizare volebant eos, qui ab hæresi Arriana ad Ecclesiam redibant: *Quod non licet, cum hoc fieri, et Apostolus vetet, et Canones contradicant, et post cassatum Ariminense Concilium missa ad Provincias a venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant. Quos nos cum Novatianis aliisque hæreticis, sicut et in Synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus episcopalis manus impositione Catholicorum conventui sociamus. Verbis generalia decreta appellat alicujus Concilii generalis decreta, quod per antonomasiam Synodum absolute vocat; constat autem nullam Synodum generalem fuisse ante Nicænam. Eadem doctrinam tradit Concil. Carthag. 1, cap. 4, ubi hoc sensu dicit rebaptizationes esse prohibitas, contra Donatistas; idem clarius definitur in Concilio Aurelian. 4, cap. 8; et Concil. Constant., sess. 8, damnantur art. 4 Joann. Wicleph., et art. 18 Joann. Hus, in quibus prædictus error continebatur. Ac denique Concil. Trident., sess. 7, can. 42 de Sacram. in genere, definit, ministros sacramentorum, etiamsi in peccato mortali sint, si cætera necessaria servant, vera conficere sacramenta. Et can. 4 de Baptismo, definit baptismum posse dari ab hæreticis. Idem docuit Stephanus Pap. 1, tempore Cypriani, ut constat ex historiis supra citatis et ex epistolis Cypriani*

inferius citandis, et Leo Papa, epist. 77, alias 79, cap. 7; Anasta. Papa, epist. ad Anasta. Imper., cap. 7 et 8, qui in particulari loquitur de baptismo et Ordine, alii vero frequentius loquuntur de solo baptismo. Unde non inveniō expressam definitionem universalem de omnibus sacramentis, quod ministrata ab hæreticis rata sint; est tamen res certa, ut ex dictis satis patet, et in singulis sacramentis latius tractabitur.

8. Tertio, probanda est hæc veritas ratione; quia vero res hæc non est ex his, quæ consistunt in physica rerum natura, sed ex institutione pendet, ideo ad illam necessario recurrendum est, ejusque prudens ratio investiganda. Non est enim dubium, quin potuerit Christus Dominus ita instituere sacramenta, ut ad eorum valorem et veritatem, tanquam necessariam conditionem postularet ministri sanctitatem aut fidem; nulla enim in hoc est repugnantia; fuit autem maxime expediens, non ita instituere, sed absolutam potestatem dare suis ministris ad conficienda sacramenta, promittendo illis suum necessarium concursum independentem ab eorum malitia vel bonitate. Primo, quia alias ecclesiasticus ordo et regimen valde esset perturbatum ac incertum, non speculativa aliqua vel inusitata incertitudine, sed valde communi, morali ac humana, quoniam fides vel sanctitas ministri frequentissime deest ac moraliter deesse potest. Qua ratione sæpe utitur Augustinus, in 1 lib. contra Lit. Petil., cap. 3, et lib. 2, cap. 5, ac sæpe alias. Dices, rationem hanc esse probabilem de peccatoribus occultis, non vero de publicis, et præsertim si sint hæretici et schismatici et ab Ecclesia præcisi, nam cum horum malitia non sit occulta, et facile vitari possunt, et satis potest Ecclesiæ constare sacramenta, ab eis data, irrita esse. Respondet Augustinus, si hæc potestas ministrandi sacramenta non pendet ex gratia vel fide in re ipsa in peccatoribus occultis, neque etiam debuisse pendere ex fama vel notitia talis defectus in ministro existentis, tum quia hæc notitia est valde accidentaliter et extrinseca; tum etiam quia quod delictum sit occultum, sæpe aggravat malitiam propter simulationem et hypocrisin; tum præterea de hoc ipso maxima esset dubitatio et perplexitas, qualis scilicet vel quanta esse debeat hæc notitia seu publicatio delicti. Item, quia interdum accidit peccatum ministri, etiam si alias publicum sit, latere eum, qui bona fide ad suscipiendum sacramentum

accedit, aut e contrario peccatum aliis occultum, esse cognitum ei, qui suscepturus est sacramentum, fortasse bene utendo malitia alterius. Ac tandem interdum expedit propter necessitatem sacramentum accipere, etiam a publico peccatore; nonnunquam etiam qui coram Deo innocens et bonus est, pravus existimatur a multis; non ergo debuit veritas sacramentorum ex hominum opinione vel existimatione pendere. Secunda ratio principalis est, quia si peccator vel hæreticus privaretur hac potestate, vel hoc esset, quia est illa indignus, vel quia non decet Deum uti homine iniquo, ut instrumento ad supernaturalem effectum, præsertim ad gratiam conferendam, vel quia Ecclesiæ, seu hominibus, qui recepturi sunt sacramenta, non expedit, hujusmodi homines esse sacramentorum ministros. Sed nihil horum dici potest aut est verisimile. Primum probatur, quia peccator est indignus fide, et hæreticus est indignus baptismali caractere et vita ac bonis omnibus, quibus juste privari possunt et non privantur; ergo ex hoc capite nihil colligi potest, præsertim in eo genere honorum, quæ ipsis non propter ipsos, sed propter aliorum utilitatem dantur, inter quæ hæc potestas conficiendi sacramenta annumeranda est. Quod a simili confirmatur, quia gratiæ gratis datæ sæpe dantur peccatoribus, quamvis illis indigni sint, quia ad aliorum utilitatem ordinantur. Unde de Caïpha dicitur, Joan. 11, prophetasse: *Quia erat Pontifex anni illius;* et Matth. 7, dicit: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* Et simile argumentum supra sumpsimus ex potestate jurisdictionis, qua non privantur peccatores, etiamsi indigni sint, et idem dici potest de dominio temporali. Secundum membrum probari potest, primo ab exemplo ex Augustino, lib. 4 de Baptismo, cap. 41, ex potestate evangelizandi et effectu ejus; sæpe enim Deus per verbum hominis peccatoris alios convertit et justificat, quod non est contra divinam bonitatem, sed maxime illam decet, ejusque sapientiam et potentiam commendat, dum quorundam malitia in aliorum bonum utitur; maxime quia non illis utitur, ut mali sunt, sed ut homines et creaturæ suæ sunt, sub qua ratione boni sunt. Adde, quia Deus utendo malo ministro, ostendit sanctitatem et efficaciam sacramenti non esse ab ipso ministro, sed a Christo; ipsum vero ministrum solum esse veluti canalem, per quem gratia ad alios confluit, aut tanquam operarium, qui jacit semina, plantat

aut rigat, Deo incrementum dante. Tertium membrum satis probatum est prima ratione, nam potius Ecclesiæ maxime expediens fuit, ut sacramenta ab his ministris collata valida sint, quanquam ipsi peccent illa ministrando. Hæc sumpta sunt ex August., lib. 2 contra Lit. Petil., cap. 5; et lib. 3 contra Cresc., cap. 8; et lib. 3 de Baptismo, cap. 11, et lib. 4, cap. 20, et tract. 5 in Joan.

9. Tertio, tandem possumus a posteriori argumentari, fuisse conveniens characterem esse indelebilem; nam si Catholicus baptizatus in hæresin labatur et postea respiscat, non baptizatur iterum, ex omnium sententia etiam hæreticorum; signum ergo est, characterem baptismi indelebilem manere et non amitti propter peccatum vel hæresin; ergo eodem modo sacerdos rite ordinatus, si hæreticus fiat, characterem sacerdotalem retinet indelebilem; ergo retinet potestatem conficiendi sacramenta; ergo si velit illa conferre, et materiam et formam necessariam adhibeat, verum sacramentum perficiet. Hæc ex August., 2 contra Parmen., cap. 13, et Hieron., dial. contra Lucifer.

10. Ex quibus rationibus sequitur primo, assertionem positam æque procedere in omnibus sacramentis, quia rationes factæ eadem vim in omnibus habent, atque ita eadem fere est de omnibus traditio, quamvis in baptismo magis sit expressa, præsertim quoad hæreticos, ut dixi. Atque eodem modo rationes factæ eadem fere vim habent in quocumque genere peccati, sive illud contra charitatem sit, sive contra fidem, et sive peccatum habituale sit, sive actuale, ac redundans in ipsamet actionem, qua ministratur sacramentum; nam licet procedat ex intentione prava, aut ex defectu alterius circumstantiæ actio iniqua sit, nihilominus sacramentum validum erit, quia ipsa bonitas vel malitia, quæ ex voluntate vel circumstantia personæ ministri adjungitur tali actioni, est per accidens et extrinseca ad rationem sacramenti. Neque inde fit aut sacramentum amittere sanctitatem suam, aut Deum speciali et supernaturali auxilio concurrere ad peccandum, quia sacramentum non est ipsum peccatum, sed est actio illa, ut passio, cui ex malitia ministri conjungitur aliquis defectus seu culpa, ad quam Deus nullum speciale auxilium præbet, sed ad actionem seu effectum sacramenti. Hic vero occurrebat difficultas, quia interdum in decretis indicatur, Ordinationes ab hæreticis factas non esse veras, sed de hac re suo loco